

Friedrich Ernst Trendelenburg


**Oratio Sollemnis, Die Natali Serenissimi Principis Ac Domini, Domini Adolphi Friderici, Ducis Megapolis Regnantis ... Academiae Gryphicae Rectoris Magnificentissimi, D. V. Maii A. O. R. MDCCLXVII. In Auditorio Maiori Habita**

Gryphiae: Röse, [1767]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833042343>

Druck Freier  Zugang







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn833042343/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn833042343/phys_0001)

DFG

Kp - 395 (16.)  
K. p - 395 (16.)





ORATIO SOLLEMNIS,  
DIE NATALI ~~1722~~  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
DOMINI <sup>1722</sup>  
ADOLPHI FRIDERICI,

DVCIS MEGAPOLIS REGNANTIS,  
PRINCIPIS VANDALIAE, SVERINI ET RACEBURGI,  
COMITIS SVERINENSIS, DOMINI TERRARVM ROSTO-  
CHII ET STARGARDIAE, SVECICI SERAPHINORVM,  
ANGLICI PERISCOLIDIS, ET POLONICI AQVILAE  
ALBAE ORDINVM EQVITIS  
AVRATI ETC.

---

ACADEMIAE GRYPHICAE  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

D. V. MAII A. O. R. CIOCCCLXVII.  
IN AVDITORIO MAIORI

HABITA

A

FRIDERICO ERNESTO TRENDELENBURG,  
STRELITZIO-MEGAPOLITANO.

L. L. C.

---

GRYPHIAE  
STANNO ROSENIANO.

ORATIO  
DIE NATALIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

ADOLPHI FRIDERICI  
DUCIS MEGALOPOLIS REGNANTIS  
PRINCIPIS VANDALIAE, SVEONUM ET RACERBERGII  
COMITIS SVEONICENSIS DOMINI TERRARUM ROSTO-  
LII ET STARGARDIAE, SVECICORUM SERAPHINORVM

*Hei mihi, non magnas, quod habent mea carmina vires,  
Nostraque sunt meritis ora minora TVIS!*

OVID.

ACADEMIAE GYMNASII  
RECTORIS, MAGNIFICENTISSIMI  
IN AVDITORIO MAIORI

ATILIAE  
FRANCISCO BRUNTO THEOPHILIBERGO  
SERAPHINO M. GYMNASII

STAN. O. VASSERMAN

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
ADOLPHO FRIDERICO,

DVCI MEGAPOLIS REGNANTI,  
PRINCIPI VANDALIAE, SVERINI ET RACEBVRGI,  
COMITI SVERINENSI, DOMINO TERRARVM RO-  
STOCHII ET STARGARDIAE, SVECICI SERAPHI-  
NORVM, ANGLICI PERISCOLIDIS ET POLONICI  
ALBAE AQVILAE ORDINVM EQVITI  
AVRATO ETC.

ACADEMIAE GRYPHICAE  
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,  
PRINCIPI CLEMENTISSIMO,

HOC  
PIETATIS ET HONORIS  
MONVMENTVM

D. D. D. D.

AVCTOR.



SERENISSIMO PRINCIPIS ADOLFUS  
INDULGENTISSIMO  
ADOLPHO FRIDERICO

DUCI MEGALOPOLIS RECANANTI  
PRINCIPIS VANDALIAE, SVEONICAE ET NORVEGICAE  
COMITI SVEONICAE, DOMINO TERRARUM NO-  
RVEGICAE ET STARBOGICAE, SVEONICAE  
NORVEGICAE, ANGLICAE PERISCHELIDIS ET POLONICAE  
ALBANAE AGULIAE ORDINVM EGITTI

AVRATO ETC.

ACADEMIAE GRYPHICAE  
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPIS CLEMENTISSIMO

PIETATIS ET HONORIS  
MONUMENTVM

AVTOR

DVX SERENISSIME,  
PRINCEPS INDVLGENTISSIME,

**N**on fane valde vereor, ne aut temeritatis, aut  
arrogantiae suspicionem iniiciam aequis rerum  
aestimatoribus, quod hunc libellum ad nominis  
TVI CELSITVDINEM deferre conatus sim. Ego  
certe eximia, nescio qua, spe et cogitatione de-  
lector, deducta profecto a naturae TVAE  
excelsa indole, fore, vt hoc pietatis monumen-  
tum ea, qua soles, serena fronte excipias. Si  
enim *etiam non adsequitis*, auctore PLINIO, *voluisse*  
*abunde pulchrum est atque magnificum*; quanto ma-  
gis infantiae meae venia danda erit, si laudis  
TVAE non satis dignus praeco exstiterim?

A 3

Vide,

Vide, PRINCEPS INDVLGENTISSIME,  
quantum libertatis det TVA humanitas! Nam  
sicut olim excellentissimos viros, qui aut *Ialysi*  
non potuerunt, aut *Coae Veneris* imitari pul-  
chritudinem, nequaquam ab optimis studiis de-  
territos esse accepimus; ita ego sustinui, quum  
anno praeterito *alter Academiae nostrae oculus* viuis  
coloribus pictam virtutis TVAE imaginem ex-  
hibuerit, eandem iam quasi inchoatam & ad-  
umbratam oculis TVIS subiicere. Quare, si  
qua est in tantis rebus fuscipiendis audacia, con-  
cedas, humillime rogo, ardentiori pietatis no-  
strae sensui, qui hanc animi testificationem ex-  
pressit, et qui dies noctesque supplicibus Deum  
O. M. precibus inuocare iubet pro interrupta  
TVA perennique salute,

DVX SERENISSIME,  
PRINCEPS INDVLGENTISSIME,  
CELSISSIMI TVI NOMINIS

deuotissimum cultorem et ciuem  
obedientissimum,

FRIDERICVM ERNESTVM TRENDELENBURG.



*MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,*  
*Viri summe Venerabiles, Consultissimi, Experientissimi,*  
*Excellentissimi,*  
*Praeceptores ac Fautores pio honoris cultu pro-*  
*sequendi,*  
*Hospites, pro suo quisque loco ac di-*  
*gnitate honorandi,*  
*Viri Generosissimi, Consultissimi, plurimum Reuerendi,*  
*Clarissimi, Amplissimi,*  
*Vosque, Viri Iuuenes Generosissimi, Praenobilissimi,*  
*Doctissimi, Amici Aestumatissimi,*  
*Commilitones Optimi!*

**S**i quis forte in hanc concionem subito delatus,  
conspexerit doctissimorum Virorum & grauissi-  
morum Patrum Academiae Conscriptorum con-  
fessum; si viderit optimae Iuuentutis & Nobilitatis fre-  
quen-



quentiam; si audierit neruorum cantum iucundissimum; si hilaritatem in omnium oribus expressam legerit; si denique omnia ad festum sollemnemque diem intellexerit praeclarissime esse accommodata: mirabitur sane idem, quibus rebus fiat, vt, quum tot litteratissimi viri & tanti oratores fedeant, adolescens potissimum ad dicendum furrexerim, cuius infantia huius lucis splendorem non illustratura dicendo, sed obscuratura esse videatur. Neque enim de rebus leuioribus aut quotidianis, sed de **SVMMI PRINCIPIS** laudibus, de publica gratulatione dicendum est; idque non in vmbra, sed in elegantissimorum hominum conuentu, quorum aures religiosae ac teretes absolutum aliquid postulant; non intra domesticos parietes, sed in amplissima Musarum arce, in sollemnitatis templo, in eo denique loco, qui non nisi summorum ingeniorum laudi & industriae patet. *Alexandrum* illum *Magnum*, memoriae proditum est, ab *Apelle* potissimum pingi & a *Lysippo* fingi voluisse, & simili ratione *Spartiatem* *Agefilaum*, *Archidami* filium, neque pictam, neque fictam imaginem suam passum esse, nisi qui in eo genere laborarent a). Sapienter illi quidem, quod nulla potius sui monumenta posteritati relinquenda censerent, quam ea, quae non quum artificibus

---

a) Videatur regina epistolarum **CICERONIANARVM** illa ad **LVCCEIVM**, Lib. V. Ep. 12.

cibus ipsis, tum sibi etiam gloriae futura esse praeuiderent. Qui igitur quum statuas & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, exprimi studiose uerarent, nisi ab iis, qui in suo artificio excellerent; quanto magis illud mihi poterat obiici, quum virtutum ac consiliorum TANTI PRINCIPIS adumbrare effigiem ausus sim, ad quam exprimendam ROSCII gestus & CICERONIS eloquentia desiderantur b)? Primum igitur Vos oro atque obsecro, Auditores Humanissimi, accipiatis, quibus causis permotus ad dicendum accesserim, qui nec aetatem, quae uix adolescentiam excessit, nec ingenium, quod sentio, quam sit exiguum, neque exercitationem tantam in me esse fatear, quantam eam esse oportet, quae huius materiae grauitati sufficiat. Quamquam enim non ualde uereor, ne a Vobis, quibus cognita est & perspecta nostra uiuendi ratio, aut arrogantiae reus agar, quae quidem in hac mea tenuitate dementia potius & summus furor appellanda erat, aut etiam fordidae adulationis, a quo abiectissimo uitio, numquam ego non abhorruui; iustum tamen arbitror, plane

b) MACROB. SATURN. L. II. CAP. 10. „Satis constat, contendere CICERONEM cum ipso (ROSCIO) solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus, an ipse per eloquentiae copiam diuerso sermone pronuntiaret.“



plane me Vobis aperire, ne forsan quibusdam parum prudenter hoc consilium cepisse videar. Quare sic habetote, Auditores Humanissimi, immortalium beneficiorum, quibus a SVMMI PRINCIPIS nostri sapientia & paterno plane amore fruimur, sempiternam apud me memoriam, hodierno die confirmatam penitus & stabilitam, tam grauiter animum meum commouisse, vt decernerem, aliquod IPSI pietatis cultusque monumentum statuere. Insidet enim in optimo quoque virtus quaedam, non vna ea solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum, pietas, quae noctes & dies animum sanctissimorum officiorum stimulis concitat, atque admonet, Deo immortalis, sanguine coniunctis patriaeque beniuolis officium & diligentem tribuere cultum c). Huius autem quanta vis sit in animis mortalium, qui non sentit, non inter homines, multo minus inter nostros habendus est. Etenim quid est tam arduum, quod non laeta subeat pietas? Quid tam altum ac excelsum, quo non enitatur? Quid tantum est a viribus ipsius remotum, quo peruenire vigilando, aut quod laborando adsequi non studeat? Vos obtestor, Ciues, Vos, qui maximam Vobis laudis & gaudii partem iure Vestro vindicatis, Vestram obtestor

con-

---

c) CIC. de Inuent. Lib. II. c. 53. & pro PLANCIO cap. 33.

conscientiam, quo animo eum, hoc praesertim die, adfectum esse oportere, censeatis, qui prae aliis TANTI PRINCIPIS beneficiis se gentemque suam ornatam esse meminerit! Quis Vestrum est, qui non, vt cum OVIDIO d) loquar, Daedaleas alas fumere optet, vt

*Adspiceret patriae dulce repente solum?*

Quis Vestrum IPSI non animo gratulatur, eumque cultum deuota mente perfoluit, quem immortalibus erga nos IPSIVS beneficiis debet? Quare Vestrum est, Populares, quid nunc mihi animi sit, ad Vos ipsos referre, vt intelligatis, me non aut spe, aut adulatione allectum, sed abreptum pietate huc venisse. Sed non Vobiscum vnice loquor, quotquot adestis, Ciues Carissimi; non excludo caeteros a voluptate, quam hodierno die e salute TANTI PRINCIPIS capimus: Vos potius, quamuis non Ciues IPSIVS, Vos, Patres Conscripti & Viri Iuuenes Optimi, nostrae laetitiae socios voluit & nostri gaudii comites esse. Nam ita plane omnes beneficiis EIVS Vos profitemini adligatos, vt, si quid prospere IPSI euenerit, non possitis, quin, non publicae salutis, sed Vestra etiam gratia, gaudeatis. Quo quidem nihil mihi potuit iucundius cadere aut optatius, quam quod de EO PRINCIPLE dicere liceat, qui non

B 2

aliqua

d) Lib. III. Trist. Eleg. VIII. v. 8.





aliqua Academiae nostrae membra meritis suis obstrinxit, sed totam hanc rempublicam litterariam singularibus meritis est complexus. Vehementer sane animum meum confirmatum esse sentio hac Vestra frequentia, & fausto quodam omine Vestrum in me studium ac fauorem cogitatione praecipio. Ne igitur efficiatis, ut tantum indigno tribuisse videamini. De me certe Vobis polliceor, omnem me operam daturum, ut ne hoc beneficium in ingratum collocasse iudicetis. Ad Vestram vero aequitatem confugio, quae vna tantum addit animi, quantum detrahunt loci sanctitas, materiae pondus, audientium dignitas & eruditio. Vestrae in primis, Patres Conscripti, singularis in nos gratiae memoriam sempiterna colam veneratione, quae tanta fuit, ut mihi hoc agitati non solum adnueritis beniuole, sed etiam auxilio Vestro nulla in re defueritis.

Vt igitur inde oratio mea ordiatur, vnde tantum in nos beneficiorum flumen redundare censendum est, liceat mihi, Auditores Humanissimi, iam Vos ad ipsos huius felicitatis fontes, qua PRINCIPIS HVIVS virtus nos auget, reuocare. Nam quum hanc rerum naturam esse intelligamus, ut omnia pendeant a principiis, dubium profecto non est, posse aliquem magnum & humano generi salutarem virum existere, nisi cuius ingenium

nium & mores ab ipso paene ortu ad humanitatem studiose conformentur. Nam sicut agros videmus & arbores non nisi hominum labore & diuturno cultu hos, quibus omnes alimur, fructus reddere, sic etiam hominis

*Doctrina vim promouet insitam,  
 Reddique cultus pectora roborant e).*

Quod quum satis superque perspectum esset PARENTIBVS SERENISSIMIS, nihil IPSIS magis erat curae, quam vt, quem ipsa natura ad honestatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, omnes denique virtutes praeclarissime finxerat, EIVS animum miti moderataque doctrina confirmarent. Quare primum virorum ratio erat habenda, qui digni essent, qui TANTI IUVENIS ingenio admouerentur, sitientemque animum artibus iis, quae Principum personam ornant potissimum, explerent. Quos quum concederet diuina gratia, hoc illis erat agendum, vt moderarentur EIVS in bonas artes studium, non vt excitarent, vt frenis vterentur, non calcaribus. Sed eam etiam excellentiam in IPSO indolem semper fuisse accepimus, vt non rebus obscuris iisdemque non necessariis operam tempusque impenderet, sed publice olim profuturis lit-

B 3

teris

e) HORAT. Lib. IV. Carm. Od. IV. v. 37. 38.



teris, quantum temporis concedebatur, sacraret. Non immemor, SE non SIBI vni natum esse, sed maximam ortus SVI partem patriae & ciuium saluti fortunisque debere, sapienterque praeuidens onus illud, quod a MAIORVM SVORVM humeris in SE deuolutum iri sentiebat, ita studiorum SVORVM rationes subducebat, vt ex historia optimorum Principum exempla SIBI proponeret, quorum vitam & virtutes imitaretur, vt ex sapientum doctrinis depromeret mutua imperantium & ciuium officia, & relictis omnibus, quae aut superflua, aut spinosa intelligeret, ea tantum decerperet, quae vsum aliquem, aut in SE IPSO conformando, aut in rebus bene gerendis ostenderent.

Sed mirabitur aliquis, quod PRINCIPEM nostrum, a puluere & radio & e scholarum vmbra reuocatum, in ipsam hanc vitae scenam prodire, & rerum praeclare a maioribus gestarum monumenta voluere, quam occultarum & inutilium rerum meditationibus detineri malimus. Licebit mihi, vt opinor, his hominibus vt obuiam eamus, pauca dicere. Quamuis omnium artium liberalium vinculum est aliquod & societas, duplex tamen earum genus esse dicitur, alterum, quod magis cognitione continetur, alterum, quod ad actionem potissimum refertur. Quorum vnum si velim laude sua defrau-

defraudare, amens sim. Illud tamen certum est, quum nemo possit tam diuino esse ingenio, aut tam longo vitae tempore frui, vt omnibus artibus iustam operam nauet, vnum cuius studiorum genus prae aliis esse commendandum. Quae omnia quum ad principatus naturam refero, plane non dubito, vllum esse artium genus, quod eius Maieitati conuenientius existimandum sit, illis ipsis artibus, quas, quia homines, natura ceteroquin non multum a caeteris animantibus seiunctos, humanitate & optimis virtutibus imbuunt, humaniores & leniores maiores nostri appellarunt. Principes enim ciuitatis, vt dignitate caeteris omnibus longe sunt superiores, ita & rerum gerendarum varietate & grauitate prae aliis premuntur. Versantur sane in animis ipsorum multae & graues cogitationes, quae ipsis nullam partem neque diurnae, neque nocturnae quietis imperitiunt. Totius reipublicae clauus eorum vnice manibus traditus est, ad quem gubernandum quanta sapientia, quanta sollicitudine opus est, ne a recto cursu deflectat tantae nauis moles, aut in infestos scopulos & fyrtes illidatur? Corona illa gemmis distincta, credite mihi, quantum splendoris, tantum oneris quoque habet; sceptrum hoc fulgens non tam ad significandam Principum Maiestatem, quam sollicitudinem geri videtur; magnifica illa & copiosa corporis custodia nonne terror potius

Re-



Regum est, quam ornamentum & auxilium, quae quidem saepius eum, quem contra nefariorum conatus tueri debebat, scelestam manu luce priuauit? Nonne haec omnia satis declarant, nisi excellenti & plane diuina natura virum non posse ad tam graue molestumque consilium animum applicare, vt neglectis omnibus suis rationibus, totum se tradat reipublicae administrandae? Intellexisse hoc sane videntur veteres, qui, quum eum, quem optimorum Principum exemplar proposuerunt, *Herculem*, tantas res, quantas ipsi tribuerunt, gerere potuisse, vix vero simile esse cernerent, eundem ipsum *Touis* progeniem fuisse perhibuerunt f). Et *Alexander* ille *M.* an aliam ob causam voluit ortum e coelo traxisse putari g), nisi quo facilius hominibus persuaderet, diuina se virtute instructum tantas res tam feliciter peregisse? Percurrat quis omnium saeculorum memoriam & videat, quam multi fuerint omni aetate, qui simplex & agreste vitae genus amplissimo imperio longe praetulerunt. An *Diocletianus* tam praeclara indole praeditus fuisse censendus est, qui, quum totius Imperii Romani clauum teneret, sponte se abdicauit, atque adeo ciuium vocem enixe rogantium, vt reciperet, quoniam  
quam

f) g) De vtroque conf. CHRISTOPH. CELLARII Dissert. de Virtutibus & Vitiis Alexandri Magni.

quam maxime esset e republica futurum, repudiauit h)?  
 An ille *Otanes*, qui caeteris ius suum, imperium Per-  
 siae ambeundi, relinquebat, ita, vt ipse posset cum suis  
 copiosa & tranquilla vita perfrui i), illene igitur, tanti  
 pectoris robore instructus fuit, quantum in illo esse o-  
 portet, qui puppi reipublicae admoueri se patitur?  
 Quae omnia, Auditores, si referamus ad Principum  
 studia, quodnam, quaeso, litterarum genus ipsis prae  
 reliquis commendandum putatis, illud, quod vnice re-  
 rum obscurarum & difficilium inuestigatione absoluitur,  
 quarum rerum disputationem Principibus ciuitatis non  
 ita decoram putari, CICERO auctor est l), quarum stu-  
 dio plurimos videmus a rebus gerendis abstrahi, an  
 potius illud, quod totum ad actionem vitamque refer-  
 tur, quod verarum virtutum formam, & pulchri hone-  
 stique faciem nobis ostendit, quae quidem, vt PLATO  
 ait, mirabiles amores excitat sapientiae m), quod mu-  
 tua nos officia docet, quibus praestitis vitae demum hu-  
 manae

---

h) Auctore SEXT. AVREL. VICTOR. iis respondit: *Vtinam Salonae  
 possitis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam  
 istud tentandum iudicaretis.*

i) HERODOT. Lib. III. pag. 222. 223.

l) Academ. Quaest. Lib. II. cap. 2.

m) Lib. I. Offic. cap. 5.



mahae iucunditas percipitur? Sed fatis verborum est: venerabunda mente mecum cognoscitis, qualem AVGVSTI HVIVS IUVENIS indolem fuisse oporteat, cuius virilis aetas aliquando erat patriae decus & fulcrum exstitura. Certe excelsio istoc exemplo cognouit patria, perspexistis Vos, Patres Conscripti, experimur nos & sentimus quotidie, Populares Optimi,

*quid mens rite, quid indoles*

*Nutrita faustis sub penetralibus*

*Possit n)!*

Quum vero iam summo omnium bonorum gaudio pararet ea, quibus instructum SE esse oportere censebat ad principatum gerendum, misero fatalique casu fiebat (refugit sane animus tantae iacturae memoriam!), vt vnus annus traheret non solum PATRIS, sed etiam PATRVI SERENISSIMI ruinam. O atri nobis dies! O pestifer annus! Duobus eodem anno orbis Meclenburgici stabilissimis fulcris deiectis tantopere ipsum vacillari, vt prope a ruina abesse videretur! Sed non conueniunt gemitus huius lucis splendori, nec foribus & luctu foedandus est hic dies, qui gaudio & gratiis sacratu est. Veneremur potius diuinam clementiam, quae VIRVM indulfit, cuius nerui tantam ru-

nam,

---

n) HORAT. Lib. IV. Carm. Od. IV. v. 25. 26. 27.

nām, quanta nobis omnibus ex illa calamitate impendere videbatur, sustinuerunt, atque adeo fortiter sustinuerunt. In quo ipso nunquam, vt arbitror, fatis cumulate Clementissimo Numini gratias agemus. Nam plane his temporibus a patria nostra, ob delicta aliqua, poenas deposcere iratum Numen primo videbatur, quum erēptis his patriae nostrae tutoribus, omnis spes ad vnum recederet, eumque admodum adolescentem, a cuius praetexta, quamuis optima quaeque polliceretur, laus tamen imperatoria non valde exspectabatur. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem vsus disciplinam. Praecurrat excellentis animi vis annorum confirmationem, atque illud ipsum e rerum gestarum monumentis hauserat, quod alios longa exercitatione & multo rerum vsu vix adsequi videas. Cognitum erat Optimatibus Viris, cognitum SERENISSIMAE FAMILIAE, cognitum denique patriae, quantum ingenii & animi robore valeret, & iniquum esse, vt olim Senatus Romanus de AEMILIO LEPIDO, Adolescente fortissimo, statuebant, EVM honori rebusque gerendis nondum tempestiuum videri, qui tantae virtuti maturus fuisset o).

C 2

Sed

---

o) VALER. MAX. Lib. III. cap. I. Exempl. Domest. I.



Sed ipse tamen doloris sensus, qui loco mirifice augeri solet, domo paullulum abesse, suadebat PRINCIPALI NOSTRO, vt animus, tam inexpectato & misero casu grauiter afflictus, erigeretur paullatimque rerum nouarum cogitatione a tristitia abstraheretur. Quis autem locus poterat esse aptior ad hunc secessum, quam ipsa haec vicina Musarum fedes? Quod quidem ipsum, Auditores Humanissimi, docet, quam vere dicta sint, quae paullo ante adtigi de IPSIUS erga bonas litteras studio, quod, quum multae eademque celeberrimae vrbes in hac vicinia IPSI paterent, quae IPSIUS aduentu plurimum se beatas esse iudicaturae erant, huc tamen, tamquam in ipsum Musarum sinum & amplexum recipere se maluerit. Beatam te *Gryphia*, quae, quum a multis inde annis tot tantorumque ingeniorum parens, alatrix & patria celebreris, eadem iam ex hoc humani generis ornamento, ex hoc Musarum principe tantum splendoris gloriaeque incrementum ceperis, quae carissimum hoc orbis Meclenburgici pignus moenibus tuis inclusum tenueris, quae te adeo in dignitatis & honoris, ex persona IPSIUS in patriam redundantis, societatem, quasi tuo quodam iure offers!

Iam vero, Patres Conscripti, eo deueni, vbi dubito, PRINCIPALIS virtutes, an Vestra sapientia potius mihi

mihi laudanda sit & celebranda. Perturbat me plurimarum rerum recordatio, nec, vnde ordiar, video, si cuncta velim enarrare & illustrare dicendo, quae his temporibus ad laudem SVMMI NOSTRI PRINCIPIS amplificandam, Vestramque sapientiam celebrandam praeclarissime sunt peracta p). Omitto igitur insignia honoris documenta, ab exteris Principibus IPSIVS virtuti & sapientiae praestita, omitto Musarum nostrarum applausus diuturnis monumentis testificatos, omitto singulorum gratulationes, quas eximia EIVS humanitas ab optimo quouis exprimebat, omitto singula laudis monumenta, quae virtus EIVS in hac Academia stabiliuit: sed hoc tacitus praeterire non possum, EVM ipsa haec Reipublicae litterariae scepra, a Patribus Conscriptis obedientissime oblata, non dubitasse cum

C 3 scepris

---

p) Si qui succinctam harum rerum historiam desiderauerint, eos delegamus ad libellum, qui inscribitur: *Prof. DAHNERTS vollständiger Bericht von Sr. Hochfürstl. Durchl. des regier. Herrn Herzogs, ADOLPH FRIDRICH IV. von Mecklenburg-Strelitz hohem Aufenthalt im Schwed. Pommern, in quo omnia iusto ordine & ea, quae Ipsi propria est, orationis suavitate & dignitate persequutus est, quod quidem tanto potuit certius & facilius fieri, quam Ipse omnibus interfuerit. Cuius quidem mentio, quum propter libelli ipsius praeslantiam, tum propter pietatem erat iniicienda, quod plurimis Eius beneficiis obstructum me publice profiteor, & huius ipsius libelli beniuolentia Eius copiam fecit.*



sceptris a patria IPSI traditis fociare, nec minus pul-  
 chrum SIBI duxisse, Musarum Gryphicarum Statorem &  
 Patronum, quam ciuium SVORVM Patrem ac Tuto-  
 rem SE profiteri. Felicem TE, SVMME PRINCEPS,  
 qui TVI in bonas litteras studii hunc primum quasi fru-  
 ctum perceperis! Laudent alii virtutes bellicas, ex-  
 tollant praeclarissimas victorias, exornent contentionum  
 magnitudinem, proeliorum numerum, decantent vrbi-  
 um ruinas, agrorum vastationes: obstrepunt sane his  
 laudibus viduarum eiulatus, debilitant infantium lacri-  
 mae, foedat effusus tot bonorum ciuium sanguis, ipsa  
 denique terra gemitu suo obscurat, quae tot filiorum  
 suorum funera aegre fert, vitamque eorum carissimam  
 paucorum hominum furori sacratam dolet. Iam Vos  
 ipsos testor, Auditores, hancine gloriam, quae ho-  
 minum fere calamitatibus nititur, comparandam cum  
 ea censeatis, quae ex his lenioribus & mitioribus virtu-  
 tibus proficiscitur? Hinc profecto tantum abest, vt in  
 vllum possit calamitas aliqua aut aegritudo proficisci, vt  
 potius dignitas & laetitia in optimum quemque redun-  
 dent. Has laudes vndique comitantur applausus, vt  
 adeo externa vrbs pulchrum sibi duxerit, nostris gau-  
 diis & gratulationibus suos adiungere honores. Aeter-  
 nas TIBI & immortales gratias persoluent Musae Gry-  
 phicae, cuius persona tantus splendor adcessit huic suae  
 sedi.

fedi. Tantum hoc est, SVMME PRINCEPS, tamque praeclarum, vt, quum temporis diuturnitas caeteris TVIS eximiis laboribus fit adlatura finem (quid enim est tam firmum ac stabile, quod non aliquando debeat vetustatis iniuria?), hanc tamen TVAM laudem non hoc tam exiguo vitae curriculo terminatum, nec eius commemorationem hac breui vita definitum, sed cum omni posteritate adaequatum iri appareat. Ac sane bellicae laudis partem sibi milites, partem praefecti, partem auxilia, maximam denique partem ipsa fortuna sibi vindicat. Hoc vero praeclarissimum grauissimorum Virorum de TVA virtute iudicium, quantumcunque, est, quod certe est maximum, totum est TVVM. TVA laus est, TVA virtus, cui tantum pretium statuit hoc Amplissimum Concilium. Nihil inde sibi alii homines, nihil fortuna decerpit, sed TVAM virtutem, TIBIque propriam omnes fatentur, quae hoc praeclarissimo die temporibus TVIS laurus circumdedit.

Sed & Vos felices, Patres Conscripti, quibus contigerit tanti tamque egregii facinoris auctores esse atque ministros! Neque enim poteratis aliud SERENISSIMI PRINCIPIS honori statuere monumentum, quo Vestra simul sapientia & pietas aeternitati consecraretur. Soleo saepe ante oculos ponere, & libenter cre-

bris



bris vsurpare sermonibus hoc factum, quod quidem tantum mihi esse videtur, vt post hominum memoriam nulum sit tam praeclare ac sapienter in hac amplissima vrbe gestum: sed illud tamen ingenue fateor, quotiescunque illud in memoriam reuoco, dubitare me, vtrum Vos potius in decorando **TANTO PRINCIPE**, an **PRINCIPEM** Vestro iudicio ornatum beatiorem praedicem. Si haec enim tantum vera laus est, quae a laudatis viris profiscitur, eoque illustrior, quo plus grauitatis in hominum iudicio inest; magnam omnino oportet esse laudem, qua eo die **PRINCEPS NOSTER** Vestro decreto ornatus est: sed eam ipsam tamen ideo tam amplam ac magnificam, quia ab huius Amplissimi Ordinis consensu atque auctoritate profecta est. **HECTOR** ille **NAEVIANVS** certe *laudari se laetatur*; sed addit: *a laudatis viris q*). Et **CICERO** noster, cur praestantius sibi futurum & ad animi laetitiam, & ad memoriae dignitatem arbitrabatur, si in **LVCCEII** potissimum, quam si in caeterorum scripta perueniret? Ipsum, quaeso, respondentem audiatis: *Non sum, inquit r*), *ita demens, vt me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur.* Quare, quum

nulla

q) r) Conf. laudata iam Epist. CIC. ad LVCCEIUM.

nulla sit laus eximia, nisi ab iis profecta, qui & ingenio  
 tali sunt, ut possint optimi cuiusque merita aestimare,  
 eaque grauitate, vt in ipforum auctoritate veritas con-  
 stare videatur; & tanta sit **PRINCIPIS SERENIS-**  
**SIMI** hac in re gloria, quantam vix cuiusquam mens  
 aut cogitatio capere possit: intelligitur sane, quam Vos  
 amplum & vberem laudis gloriaeque fructum sitis ex  
 hoc egregio facto consequuti. O praeclarissimum diem,  
 non nostra, sed posterorum etiam sempiterna celebra-  
 tione dignum! Quamdiu huius diei memoria horum  
 omnium animis obuersabitur, tamdiu etiam **TVAE** sa-  
 pientiae, **TVAE** virtutis memoria stabit, neque vlllo vn-  
 quam tempore, vlllo loco, vlllo casu effluet! Haec am-  
 pla sunt, haec diuina, haec immortalia, haec fama ce-  
 lebrantur, monumentis annalium mandantur, posteri-  
 tati propagantur! Sed satis multa de hac re dicta esse  
 arbitror, quae & a dignitate **SVMMI PRINCIPIS** &  
 huius Ordinis grauitate satis commendatur, & ad illa  
 progredior, quae quotidie in patria nostra celebrantur.

Non possum tamen, quin prius breuiter **EIVS** er-  
 ga hanc Academiam singularis gratiae documenta com-  
 memorem. Quis eorum, qui hic viuunt, est omnium  
 tam ignarus rerum, qui nesciat, non diu post **EIVS** di-  
 scessum Academicam hanc nostram Bibliothecam libris

D

pretio-



pretiosissimis esse ab EO auctam? Neque enim satis IPSI erat, ea omnia, quae nobis cara atque ampla sunt, in ILLIVS quasi fidem & patrocinium collata generose acceptasse, sed clementiae SVAE aeterna quoque apud nos monumenta exstare cupiit, & ea quidem talia, quae & persona & studio SVO satis digna esse viderentur. Quis tam possit ingratus & impius existere, qui, quum ad animum optimorum librorum lectione pascendum in hanc Bibliothecam adscenderit, ipsis his voluminibus conspexit non tacita mente veneretur SVMMI PRINCIPIS erga nos clementiam? Quis exterorum, huc delatus, non inuidebit nostrae felicitati, & Summum Numen de tam CLEMENTI PRINCIPE laudabit, cuius beneficia tanto latius patent, quo pluribus licet iisdem perfrui? Sed quid multa? Nonne non ita pridem suam effigiem, eam, quam nos intuemur, Auditores, templi huius ornamentum insigne ac decus, huc mittendam curavit, ut, cuius memoria semper nobis obuersatur, EIVS etiam os vultusque cerneremus, & quasi cum EO IPSO viueremus, quem grauiora negotia hic morari non sinunt, quamuis animo saepe apud nos sit? Quid poterat esse ad IPSIVS beneficiorum memoriam recolendam efficacius? Quid ad pietatis officia, EIVS personae debita, praestanda excellentius? *Lararium* apud Romanos sanctiorem reliquis omnibus aedium partem

partem fuisse accepimus, eundemque locum, in quo maiorum suorum imagines ponebant s). Quid igitur poterat sapientius fieri a Patribus Conscriptis, quam ut hanc OPTIMI PRINCIPIS imaginem in eo ipso loco constituerent, cuius aditus sollemnibus diebus optimo cuique patet, qui totius urbis ornamentum, qui Musarum nostrarum ara est ac focus? Nos vero, Commilitones, quotiescunque huc confluumus, ipso tacito simulacri adspectu monemur, ut Tanto nos Praeside dignos geramus, ut vestigiis EIVS insistamus, & sicut *Themistoclem Miltiadis* tropaeis excitatum fominum capere non potuisse legimus, ita nos praeclarissimo PRINCIPIS exemplo inflammati improbo & indefessio labore ad summa quaeque adnitamur.

Sed non diutius iis rebus immoror, Auditores, quas Vos numquam sine precibus & gratulationibus animo menteque recolitis. Iam vero de iis dicendum erat virtutis EIVS documentis, quibus patria nostra abundat. Quantus itidem orationi meae aperitur campus, in quem excurrere, quamvis iustum esset, nec ab hoc loco abhorrens, ipsa tamen temporis locique ratio vetat? Quid de EIVS in optimas litteras studio di-

D 2

cam?

s) Conf. IOANNIS ROSINI *Antiquit. Roman.* Lib. I. cap. XIX. p. m. 99. ubi satis idonea pro hac re testimonia adfert.





cam? Subit statim memoriam vrbis patriae schola, ea in cuius sinu me olim nutritum, non sine summa animi voluptate recordor.) Noui Optimos Viros ei praefectos, noui indefessam Ipsorum diligentiam, qua me etiam quondam ad bonas litteras adduxerunt, noui PRINCIPIS studium, noui nobilitatis & procerum labores, nota mihi sunt omnia; tantoque me maior quaedam & iucundior spes delectat, fore, vt Musae HVIVS PRINCIPIS studio & humanitate adlectae firmam ibi perennemque sedem statuunt. Quid de IPSIVS erga omnes ciues amore & clementia dicam, quae quidem virtutes tantae CICERONI videntur, vt praeclariorem vllam in ipso CAESARE, cuius res gestas toties ad coelum extollit, inuenire se neget, vt bellicam adeo laudem, qua hic Princeps vicerat omnes, eidem postponat t)? Quid de EIVS iustitia & seueritate, quae est mater illa & radix virtutum omnium? Quid de summa EIVS erga ciues studio & prouidentia, qua & opificum fabricas amplificare studet, qui quidem fons est diuitiarum & dignitatis populi? Quid de EIVS prudentia dicam, quae tanta est in IPSO, vt multas res & magnas sine amicis suis gesserit, nullam sine EO amici?

t) Hoc praecipuum CICERONIS argumentum est in Orat. pro M. MARCELLO, quo Caesarem laudat, quod clementiam maximis rebus bellicis eius longe superiorem esse ostendit.

amici? Sed quo plura dico, eo plura offert memoria, & quamuis pietas nostra, si non praeconium, enumerationem certe laudum TANTI PRINCIPIS exhibere suadeat, ratio tamen & modestia, diutius nos Vestra patientia abuti, vetant.

Quare hoc vnum tantum superesse arbitror, vt etiam publicarum gratulationum interpres vota candidissima pro perenni EIVS salute nuncupem. Quod enim potest hoc die sanctius nobis esse officium? Si enim omni tempore eos, qui summa reipublicae tenent, votis & precibus a nobis Deo O. M. commendari fas est, quanto magis hoc fieri eo die oportet, quo natalitia PRINCIPIS diuinitus nobis concessi celebrantes, omnia, quae ab ILLO in nos profecta sunt, eximia merita grata mente recolimus? Quis igitur possit inueniri tam impius aut demens, quin EVM, cuius beneficiis conseruatum, auctum & ornatum se meminerit, cuius salute suam ciuiumque salutem contineri sciat, quin EVM prosperrimorum quorumuis appreciatione & summis precibus prosequatur? Sed quid dubium est, Vos omnes in haec mea vota hasque preces ea, qua par est, animi deuotione esse conspiraturos, qui ad persolendas Summo Numini debitas gratias huc confluxistis? Accipiat igitur animi mei vota, illudque, quod verbis

D 3 ego,



ego, quamuis maxime cupiam, adsequi non possum,  
Vestris cogitationibus, vt audiisse videamini, efficite!

Valeat igitur SERENISSIMVS PRINCEPS,  
ADOLPHVS FRIDERICVS, diuino certe ali-  
quo dono atque munere nobis commendatus, ad Musarum Gryphicarum splendorem & ciuium suorum salutem amplificandam! Suppetant EI, quae ad bene beateque viuendum pro tanto fastigio & splendore sunt praeclarissima! Diutissime numine SVO regat patriae frena, manibus EIVS sapienter commissa! Multis abhinc annis ciues amore, sapientia, prouidentiaque IPSIVS gaudeant! Florentem videat GENTEM SVAM SERENISSIMAM, florentes FRATRES, quorum ALTERI iam rebus gerendis, quantum ingenii animique robore valeant, declararunt, ALTERIVS praeclare indoles Patriae PRINCIPEM tantis PROAVIS & FRATRIBVS dignum ostendit, florentes SORORES, quarum ALTERA, tamquam aliquod fidus, quantum splendoris augmentum SERENISSIMAE FAMILIAE adiunxit? Florentes denique omnes, qui sanguinis aut amicitiae vinculo IPSI iuncti CELSISSIMIS EIVS virtutibus perfruuntur!

Sed non sine scelere ex hoc loco discederemus,  
Auditores, nisi & Summi Academiae nostrae Statoris,  
PO-

POTENTISSIMI & SERENISSIMI SVECORVM  
REGIS, ADOLPHI FRIDERICI, salutem om-  
nibus precibus a Deo O. M. expeteremus. Per  
longam annorum seriem teneat Imperii Suecici guber-  
nacula, diuinoque consilio & auctoritate SVA hunc  
semper teneat cursum, vt adsequatur illum otii & di-  
gnitatis portum! Seros in annos, id quod omnibus  
Optimatibus perquam maxime est in optatis, superstes  
& diutissime populi SVI amor sit & deliciae! Vigeat  
CONIVX REGIA, decus hoc Sueciae, florentem vi-  
deat PRINCIPEM HAEREDEM, omnique felicitatis  
genere adfluentem! Sospites sint omnes IPSIVS  
MINISTRI, sospes in primis EXCELLENTISSIMVS  
Academiae nostrae CANCELLARIVS, Pomeraniae &  
Rugiae Proconsul, sospes MAGNIFICVS Academiae  
RECTOR; sospes denique ac incolume hoc Amplissi-  
mum PATRVN Academiae CONSCRIPTORVM Consi-  
lium! Atque, vt omnium nostrorum votorum & preca-  
tionum rationem breuiter subducamus: Vigeat ADOL-  
PHVS FRIDERICVS VTERQVE, valeat, floreat  
in aeternum! FAMILIAMque SVAM honore, po-  
pulum dignitate, patriam beneficiis & opibus auctam  
cumulatamque multos post annos relinquat!

At


✿   ✿   ✿

At indignus plane tam singulari Vestro erga me favore existerem, Auditores, quo tamdiu patientia Vestra abuti me, concessistis, nisi ea, qua fas est, observantia & pietate Vobis declararem, quantum me hoc nouo beniuolentiae documento obstrictum esse existimem. Effecistis profecto, vt quae omni aestimatione maiora putarem beneficia, his hoc ipso die insignem cumulum accessisse sentiam. Cui quidem Vestro amori, vt me in posterum semper habeatis commendatum, vnum iam est, quod maximo a Vobis opere contendo. Ego certe, quantum potero, studio viribusque enitar omnibus, vt ne Vestra eximia beneficia in ingratum posuisse videamini.

D I X I.













Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn833042343/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn833042343/phys_0040)

DFG

At indi  
uore exister  
stra abuti m  
uantia & pie  
nouo beniuo  
mem. Effe  
maiora puta  
mulum acce  
vt me in pot  
num iam eff  
Ego certe,  
omnibus,

tam singulari Vestro erga me fa-  
pores, quo tamdiu patientia Ve-  
tis, nisi ea, qua fas est, obser-  
deklararem, quantum me hoc  
cumento obstrictum esse existi-  
sto, vt quae omni aestimatione  
ia, his hoc ipso die insignem cu-  
m. Cui quidem Vestro amori,  
per habeatis commendatum, v-  
ximo a Vobis opere contendo.  
otero, studio viribusque enitar  
tra eximia beneficia in ingra-  
fuisse videamini.

D I X I.

